que cruentissimas, vnius libertatis Tibi ereptæ vindicandæ, & inde nominis OTTOMANICI iniuriæ vlciscendæ consilio, reperti sunt, qui contendant hos rerum motus nihil ad Te pertinere, & alias belli causas, præter omnem veri speciem, comminiscantur.

Sed has male moratorum hominum voces rationes, Tibi surda aure prætereundas consulerem, nisi id iamdiu in animum induxisses, & propositi tenacem, nihil Te huiusmodi diuinationes malignas, & apertas calumnias morari agnouissem. Sed quo ipse Tui nominis vindicandi negligentior es, magisque æquo & forti animo fers hoc secundum infortunium, quo nihil Tibi fieri volunt inuidi reliquum ex gentilitia majestate, eo conuenit nos ardentiori studio, quod vnum supereſt ex ingentibus bonis decus & ornamentum, contra malignas coniecturas, & insanos clamores propugnare: & dum Te indefensum esse non patimur, validius ipse æmulorum depelles impetus, & audaciam contundes, si fortunæ ludibrio quod in Te miratur Orbis, ad quod etiam Posteritas obstupescet, mutatam sortem, non solum forti animo feras, quòd ipsa immedicabilis & ineluctabilis malis necessitas, etiam inertibus indicit: sed etiam ardentiori sapientiæ & pietatis studio sic redimas & resarcias; vt qui te propius nouerint, non iam fortunæ vices, sed progressum virtutis in Te mirentur: nec dubitent quin illa Tibi ex animo verba vindices, *Sapientiam regnis & sedibus præposui*, & in quem Te casus impulit, locum, videaris ipsemet elegisse; & ita adama-